Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Neque enim regibus maledicent, neque be-
nedicent. Signa etiam in celo gentibus non
ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illu-
minabunt ut luna. Bestie meliores
sunt illis que possunt fugere sub tectum ac
prodesse sibi. Nullo itaque modo nobis est ma-
nifestum quod sunt dii, propter quod ne timea-
tis eos. Nam sicut in cucumerario formi-
do nichil custodit, ita sunt dii illorum li-
gnei et argentei et aurati. Eodem modo
in orto spina alba, supra quam omnis avis
sedet. Similiter et mortuo proiecto in tene-
bris similes sunt dii illorum lignei et
inaurati et inargentati. A purpura et mar-
more que super illud tenent, scietis
quia non sunt dii. Ipsi etiam postremo co-
meduntur, et erit obprobrium in regione.
Melior est homo iustus qui non habet simula-
chra, nam erit longe ab obprobriis.

Explicit liber Baruch. Incipiunt
Treni.

Quomodo se-
det sola ci-
vitas plena
populo. Facta est
quasi vi-
dua domina
gentium,
princeps provinciarum facta est sub tributo.
Beth. Plorans ploravit in nocte, et la-
crime eius in maxillis eius. Non est qui con-
soletur eam ex omnibus caris eius. Omnes
amici eius spreverunt eam et facti sunt ei
inimici. Gimel. Migravit Iuda propter
afflictionem et multitudinem servitu-
tis. Habitavit inter gentes, nec invenit
requiem. Omnes persecutores eius appre-
henderunt eam inter angustias. Deleth.
Vie Syon lugent, eo quod non sint qui ve-
niant ad sollempnitatem. Omnes por-
te eius destructe, sacerdotes eius gemen-
tes, virgines eius squalide, et ipsa op-
pressa amaritudine. He. Facti sunt
hostes eius in capite, inimici eius lo-
cupletati sunt, quia dominus locutus est
super eam propter multitudinem iniquitatum
eius. Parvuli eius ducti sunt in captivi-
tatem ante faciem tribulantis. Vau.
Et egressus est a filia Syon omnis decor eius.
Facti sunt principes eius velut arietes
non invenientes pascua, et abierunt
absque fortitudine ante faciem subsequen-
tis. Zai. Et recordata est Ierusalem
dierum afflictionis sue et prevaricationis
omnium desiderabilium suorum que habuerat
a diebus antiquis, cum caderet populus
eius in manu hostili et non esset auxi-
liator. Viderunt eam hostes et deri-
serunt sabbata eius. Heth. Peccatum
peccavit Ierusalem, + instabilis facta est. propterea +
Omnes qui glorificabant eam spreve-
runt illam, quia viderunt ignominiam
eius. Ipsa autem gemens et conversa retror-
sum. Teth. Sordes eius in pedibus
eius, nec recordata est finis sui. De-
posita est vehementer, non habens consolatorem.
Vide domine afflictionem meam, quoniam ere-
ctus est inimicus. Ioth. Manum suam
misit hostis ad omnia desiderabi-
lia eius, quia vidit gentes ingressas
sanctuarium suum, de quibus preceperas
ne intrarent ecclesiam tuam. Coph.
Omnis populus eius gemens et querens
panem. Dederunt queque preciosa pro cibo
ad refocillandam animam. Vide domine
et considera quoniam facta sum vilis. Lamech.
O vos omnes qui transitis per viam, at-
tendite et videte si est dolor sicut dolor

plicit baruch. Incipiunt treni

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg